


COSMOGRA

PHIAE INTRODUCTIO:


cum quibusdam Geometriæ ac
Astronomiæ principiis ad
eam rem necessariis.



PARISIIS

Apud Gulielmum Cauellat, in pingui gallina, ex
aduerso collegij Cameracensis.

1550



IN QVO DIFFERAT GEO-
graphia à Chorographia.

Caput I.



Eographia, autore Ptole-
mæo, imitatio est picturæ totius
partis terræ cognitæ, cum iis, que
sibi quasi uniuersaliter sunt an-
nexa. Differt autē à Chorogra-
phia: nam illa per partes loca resecat, seorsumque
singula & unumquodque iuxta se constituit, ac
fermè omnia etiam minutissima illa, quæ depre-
hendere possumus, describit, ueluti portus, uicos, po-
pulos, riuulorum quoq; decursus, & quæcunque
alia illis finitima: ut sunt, adficia, domus, turres,
mœnia, &c. Geographiae autē propriū est, unam
& continuam terram cum partibus eius preci-
puis formula quadam ac picturæ imitatione ostē-
dere, quæadmodū se habeat natura & positione:
eaque solū in omnino deprehensibilibus uersa-
tur descriptionibus, ueluti sinuū & ciuitatū ma-
gnarum, gentium quoque & fluuiorum, nec non
circa ea, que secundum speciem uniuscuiusq; sunt
insigniora. Porrò finis Chorographicus conexio-
ne particulari cōtinetur, ueluti si pictor aliquis au-
rem tantum aut oculum designaret pingere tque:

RUDIMENTA

Geographicus autem cōtemplatione totius, proportionaliter iis, qui integrū caput describūt. Nam in pingendi arte sic fieri solet . ut cum corporum seu rerum simulachra describūtur: principalium imagines membrorum in primis & necessariō compaginantur, atque sub quadam symmetria constituuntur, ut ex iusta distantia uisu possint discerni, an totum seu pars sint illius, quod pingitur. Haud secus fieri contingit in Geographia & Chorographia. Hęc enim partium orbis figuras & imagines, in minimis etiam suis particulis de pingit, & adamusim repræsentat: Illa uero considerat & describit integras prouincias, cum his, quae ad uniuersalem earum formam spectat, tanquam præcipuas ac primarias orbis terrarum partes, tam magnitudinibus quam symmetriis seu commensurationibus ritè dispositas. Locorum deniq; situs, quos ex regionibus seu prouinciis Chorographia tractat, ne uitiam congruunt ueris eorum positionibus, quas in telluris superficie possident. Ipsa nanque circa locorum & locādorum qualitatem magis quam quantitatem uersatur, quum locorū peculiares similitudines omni modo nititur explicare: symmetriæ uero positionis locorum, omnem ferè curam & diligētiæ studium negligit: At Geographia quantitatis plus quam qualitatis

qualitatis considerationem sibi uendicat: in omnibus enim locorum distantius, iustum accuratamq; proportionis prouidentiam obseruare studet: similitudinis uero modicam admodum curam gerit, nisi quantum ad extremas illas magnarum partium, id est praefecturarum seu prouinciarum circumscriptiones & figurā attinet: Qua de re Chorographia pro reddendis locorum similitudinibus pingendi peritia haud parum indiget: nemo enim Chorographiam exercere commode poterit, nisi pingendi artificio instruētus. At Geographia huius artificij neutquam opus habet: per exiles enim punctos, quibus loca ciuitatesque significantur, & ipsorum nominum inscriptio[n]es conatur indicare & eorum situs, atque totius terrarum orbis figuram. Propterea Chorographia mathematicæ institutionis penè nihil eget: Geographie uero mathematica scientia plurimum est necessaria. In Geographia enim considerare oportet totius terræ & figuram & magnitudinem: deinde qualiter cognitæ ipsius telluris ad eam & inter se suis locationibus disponuntur. Dicendū præterea & cognoscendū est, quales & quantæ hu[m]i]nusmodi partes existunt: & quibus cœlestibus parallelis subiiciuntur, ex quibus dierum atq; noctium magnitudines nobis palam fient: & que

R V D I M E N T A

fixorum siderū, in quo quis loco supra uerticem, &
quæ supraterrā, quæque infra eam perpetuo uer-
santur: & quæcunque circa quamvis habitationē
nostra cōpleteū consideratione. Quæ cuncta
sublimissimæ ac pulcherrimæ sunt speculationis,
quum humanis deprehensionibus per mathema-
ticas rationes ostendi possit, quo pacto cœlū ipsum
natura sua sese habeat, quoniam nobis magna ex
parte conspicuum esse potest, cùm nos circumam-
biat. Terra autem per imaginem (quia, licet certa
fit & maxima, non tamen nos circūambit) neq;
tota simul, neq; particulatim ab eisdē hominibus
peragrari potest. Hic obiter notādū quòd Cosmo-
graphiæ ratio Geographiæ uocabulo intelligatur:
Cosmographia potius ad Geometriam Astrono-
miā inque sese inclinat. Nam figuræ, climata, ma-
gnitudines, & alia huiusmodi propria, sine illarū
scientia deprehēdi nequeūt, coeunt tamen, suntq;
adeo inter se connexæ, ut alteram sine altera ut-
cunque traditam, mancam esse facile cōstare pos-
sit periculum facientibus: sed acutior uidetur esse
ipsa Cosmographia, quòd cū certis quibusdā axio-
matibus utatur, certa sibi q; constans manet. Geo-
graphia cum seculorum decursu, tum uero mul-
tifaria illustrium scriptorum traditione, ut omnia
mortalium opera, tempus mutat, nec semper con-
sona

sona sibi, nec certa est: quum præter locorum enumerationē, & historiam, addat & plerunq; quæ ciuitatum, quæ gentium, nationum, populorū origo fuerit, atq; unde data rebus nomina, tum & illustria nonnunquam naturæ sive miranda opera indicās, in terræ situ multō uberior esse solet: Cosmographia uero quāquam utriusque, cœli in qua & terræ rationem habet, & terrena cum cœlestibus in unum coniungit, magis tamen id curat, ut quibus terræ extantis partibus, quod cœli secundum longitudinem latitudinemque spaciū ad sit, ostendat. Nec aliter regiones, oppida, amnes, maria, montesque enumerat, quam ut uel terminos statuat regionum: quæque exordia, & qui fines sint, enumeret, uel sub qua cœlestis superficie parte illa uniuersa sint demonstrat: hoc propè unice curans, ut sub quo cœlo sita loca, quæ latitudo, quæ longitude, præterea quæ gnomonis umbra-rūmq; pro locorū latitudine differentiū (unde breuitatis longitudinisq; dierū ratio manat) diuersitas sit, intelligatur. Ad hæc, quæ locis sidera uerticalia, quæ in arcton, quæ in austrum inclinet, ortusq; & occasus eoruđe, qui locis diuersam latitudinem & longitudinem habentibus, uniformes esse nequeunt, considerat: Interualla, climata, calores & frigora, & simpliciter aeris naturam obseruat.

RUDIMENTA
DE QVIBVS DAM REQVI-
sitis ad intelligendum Geographiam.
Cap. II.

VOlens degustare negocium illud, in primis Geographicæ disciplinæ & Astronomiæ principia perquirat, Sphæræ scilicet circulos cognoscendo, quibus tota utitur Geographia: quod ex sequentibus brevissimè expediet quisque.

Diffinitio prima.

Punctus est quid indivisibile: uel, cuius non est aliqua pars, quem uisu percipiatur.

Diffinitio secunda.

Terminus est, quod cuiusque finis est.

Diffinitio tertia.

Linea est longitudo illatabilis: cuius extrema sunt duo puncta, si finita intelligatur.

Diffinitio quarta.

Linea recta, est quæ ex æquali sua iteri acer signa.

Diffinitio quinta.

Lineæ parallelæ, quæ in eodem existentes plano, contactum non admittunt: etiam si in infinitum producerentur.

Lineæ Parallelæ

Diffinitio sexta.

Superficies est, quæ longitudinem latitudinemq; tantum habet, cuius extrema quidem sunt lineæ.

Diffinitio septima.

Superficies

Superficies plana, est quæ ex æquali suas inter-iacet lineas.

Diffinitio octana.

Angulus planus, est duarum linearum in pla-no sese tangentium, & non in directo iacentium ad alterutram inclinatio.

Diffinitio nona.

Quando autem quæ angulum continent linea rectæ fuerunt, rectilineus angulus nuncupatur.

Diffinitio decima.

Cum uero linea recta super rectam consistens lineam utrobique angulos æquales ad inuicem fecerit, rectus est uterque æqualium angulorum: & quæ superstat recta linea, perpendicularis uocatur, super qua steterit.

Diffinitio undecima.

Angulus sphæralis, est angulus corporis sphærici, & diuiditur sicut angulus superficialis in rectum & obliquum, &c.

Diffinitio duodecima.

Obtusus angulus recto maior est.

Diffinitio decimatertia.

Acutus uero minor est recto.

Diffinitio decimaquarta.

Figura sub aliquo uel aliquibus terminis comprehenditur.

Diffinitio decimaquinta.

*Circulus est figura plana, una quidem in orbem ducta linea contenta, quæ circumferentia ac ter-
eum appellatur: ad quam ab uno signo intror-
sum medio existente omnes prodeentes lineæ, in
ipsiusque circuli circumferentiam incidentes ad
inuicem sunt æquales.*

Diffinitio decimasexta.

*Centrum, est punctus in medio circuli, à quo o-
mnes lineæ ad circumferentiam ductæ inter se
sunt æquales.*

Diffinitio decimaseptima.

*Dimetiens circuli, est recta quædam linea per
centrum acta: & ex utraque parte in circuli cir-
cumferentiam terminata, quæ circulum bifariam
dispeicit.*

Diffinitio decimoctaua.

*Semicirculus, est figura, quæ sub dimetiente, &
ea quæ ex ipsa circuli circumferentia sublata est,
continetur.*

Diffinitio decimanona.

*Sectio circuli, est figura, quæ sub recta linea, &
circuli circumferentia aut maiore aut minore se-
micirculo continetur.*

Diffinitio uigesima.

*Rectilineæ figuræ, sunt quæ sub rectis lineis co-
tinentur,*

tinentur, ut trilateræ, quæ sub tribus rectis continentur lineis: quadrilateræ, quæ sub quatuor comprehenduntur rectis lineis, &c.

Diffinitio uigesima prima.

Solidum est quod longitudinem, latitudinem, et crassitudinem habet. Solidi uero terminus superficies est.

Diffinitio uigesima secunda.

Solidus angulus est, qui sub pluribus duobus planis angulis comprehenditur, non existentibus in eodem plano, ad unum signum constitutis.

Diffinitio uigesima tercia.

Sphæra est orbis effigies: & à Theodosio sic describitur: Sphæra est solidum quoddam una superficie contentum, in cuius medio signum est, à quo lineæ omnes ad superficiē eius & inter se sunt æquales.

DE FORMA MUNDI AC CIRCULIS SPHÆRÆ ARMILLARIS, EX QUIBUS OMNIS COSMOGRAPHIÆ RATIO DEPENDET.

Cap. III.

Mundus siue cosmus, est figuræ sphæricæ siue rotundæ, ut in primis uocabuli significatio docet: orbem enim nominant. Præterque eam,

R V D I M E N T A

quòd forma hæc perfectissima sit maximèque capax, principio finèque carens, quam esse præcipuā rationem existimant: quòd nisi eam mundus formam haberet, in se uolui non posset, id prohibente natura: ut in corpore, quod angulos habet, confici potest: quum enim id attollimus, corpus sine loco uidetur, & locus sine corpore: quæ duo fieri nequeunt: ob id corporitam nobili dignissima & motui circulari accommodatissima figura est attributa: Atque in eius medio signum est, circa hoc rotundæ figuræ terra unâ cum mari consistens, unâmque & eâdem cum æquoribus superficiem habens, eodem quo cœlum centro & ipsa permanet, pérque ipsam ac cœli medium axis extenditur, & circa illam atque axem ab ortu in occiduum cœlum circumagit: cùmque illo ἀπλανεῖς, quæ pari celeritate cum polo sunt, per circulos παραλλήλος deferuntur. Terram autem extare supra undas, ut pomum natans, aut leuem quempia ex ligno globum undis innatantem, qui credunt, ualde decipiuntur: Hoc enim modo multa falsa forrent, quorum deprensa ueritas est. Terræ ergo superficiem, quæ extra undas eminet, ita eminere credamus, ut ex ea & circumfluëtibus undis corpus rotundum (ut iam ostensum est) in se undique recurrens efficiatur. Haec tenus sphæræ mundi rotunditatem

rotunditatem seu sphæricitatem sine ulla circulorum distinctione expressimus. Proinde de eius axe, polis & circulis maxime, qui ad sphæræ rationem spectabunt, aliquid uel succincte dicendum censeo.

QVID SIT AXIS MUNDI.

Axismundus, est dimetiens ipsius, circa quam uoluitur. Ita enim Proclus Diadochus describit: ἔξων κόσμος οὖτιν διάμετρος αὐτῷ, τῷδε δὲ σημεῖον.

QVID POLVS MUNDI.

Polimundi, qui & uertices & cardines dicuntur, sunt duo puncta cœli axem terminantia: ita fixa, ut nunquam moueatur: Quorum qui Borealis est, ὁλαρκτικός, id est, ursinus uocatur, nunquam occidens, semper conspicitur: alter αὐταρκτικός, hoc est, arcticus oppositus, qui terre obiectum nobis cerni non potest: à Græco uerbo ὄλιος, quod est

Polus arcticus.



Polus antarcticus.

RUDIMENTA

uerto, nomen inditum est, quia circa illos mundi
structura uertatur. Eadem ratione virgilius nun-
cupauit uertices: *Hic, inquit, uertex nobis semper*
sublimis, at illum Sub pedibus Styx atra uidet, ma-
nésque profundi. hoc est, *artix doves,* quos è no-
stro cœlo quasi in profundo aëre habitantes de-
spicere uidemur. Sunt præterea duo alij poli in sphæ-
ra, qui poli Zodiaci dicuntur, *arcticum & antar-*
cticum circulos describentes, de quibus infra.

DE DECEM CIRCVLIS, QVOS in cœlo Astrologi imaginantur.

Duplices sunt circuli in sphæra: non reuera qui-
dem existentes, sed imaginabiles: maiores uideli-
cet, & minores. Maiores, qui mundum in partes
æquales secant: uel quibus idem cum mundo cen-
trum est: Minores, qui orbem in parteis inæqua-
les diuidunt. Maiores sex ab Astrologis tradun-
tur: Aequator, Signifer, κόλποι duo, Horizon
& Meridianus. Hos ordine exequemur.

TYPVS

TYPVS SPHAERÆ ARMILLARIS.




DE COLVRIS.

Coluri bini

Polus arcticus.

sunt in sphæ-
ra per mundi
uertices du-
eti, quorum
alter æquino-
ctia, alter bru-
mam & sol-
sticium contin-
git: diuidūtq;
quadrate Zo-
diaci et æqua-

Colurus equinoctialis.

*Colurus solstitialis.*

RUDIMENTA

toris. Nomen ab imperfectione inditum, quod nunquam integritotique nobis exoriantur: quoniam partes austro polo propinquæ, semper occulte sub terra delitescunt. Græci nō & mutilla uocant & imperfecta.

COLVRVS SOLSTITIORVM.

Colurus solstitiorum, est circulus per principia cancri & capricorni, per polos eclipticæ pariter & polos mundi transiens: hic & declinationum circulus dicitur.

COLVRVS AEQVINOCTIORVM.

Colurus æquinoctiorum itidem circulus maior est, per principia arietis & libræ pariter ac polos mundi transiens.

DE AEQUATORE.

Aequator, quem æquidialem & æquinoctialem appellant, est cuius partes omnes spacio aequo ab utroque polo distant. Ita duabus de causis nominant: quod & sub eo, in quacunque parte sol fuerit, semper æquinoctium sit: & quia sole meante sub illo, dies noctesque pares in omnibus terræ oris sint. Contingit autem æquinoctium bis in anno, semel in mense Martio, quando sol ingreditur primum minutum Arietis: iterum mense Septembris, quando ingreditur libram: de qua Virgilius: Libra die somnoq; pares ubi fecerit horas,

Et

Et medium luci atque umbrisiam diuidet orbem.

DE ZODIACO.

Signifer, quem Græci ab animalium positu
zodiacorū appellant, est circulus maior, æquato-
rem in duobus punctis, qui sunt principia arietis
& libræ, dirimens, cuius una medietatum ad Se-
ptentrionem, altera uero ad Austrum uergit. In
media autē zodiaci superficie (solus enim hic cir-
culus latitudinē habet sedecim partium, qualiu[m] ma-
ximus circulus trecentarum sexaginta) circularis
linea est, ipsum in Polus arcticus.

duo æqua partiens:
quam Græci à defe-
ctu ἐκλεπτική uo-
cant, nos Solis uiam,
quia nunquam ab ea
digreditur. Luna au-
tem & ceteri plane-
tarum nunc sub ea,
nunc citra uel ultra
exspatiati uagantur.




Polus antarcticus.

Fieri autem non potest, ut zodiacus eosdem ha-
beat polos cum æquatore: ergo eius poli à polis
mundi distant gradibus 23. minutis primis 30. fe-
re. Dictus est autem hic obliquus circulus, quod
æquidistantes ad æquales angulos intersecet. Si-

RUDIMENTA

gna, in quæ diuiditur, duodenasunt: quorum Aries, Taurus, Gemini, uerno tempori ascribuntur: Cancer, Leo, Virgo, aestati: Libra, Scorpio, Sagittarius, autumno: Capricornus, Aquarius atque Pisces, hyemi. Quodlibet itaque signum in tricenos gradus, quos & partes nominant Astrologi: gradum in sexaginta minuta, hæc in secunda, ter-tia, quarta, atque id genus sectiones deinceps diui-dunt. Totus ergo circuitus partes trecenas & se-xagenas continet.

CHARACTARES ET NOMINA
signorum septentrionalium.



Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo.

CHARACTERES ET NOMINA
signorum meridionalium.




Libra, Scorp. Sagittar. Capric. Aquarius, Pisces.

DE FINIENTE.

Finiens seu finitor, quem Graci horizonta ap-pellant,

pellant, est circulus maior, qui conspectam mundi partem ab inconspecta dirimit, ac uniuersam sphærām in duas æquas partes secat. Hic sub æquatore rectus, in aliis latitudinum notis obliquus dicitur. Est autem horizon duplex, alter qui sensu usurpatur, alter qui sola ratione percipitur. Ergo sensibilis horizon est, qui à nostro uisu in termine uisionis circumscribitur. Hic adeo non amplius duum milium stadiorum dimetientem habet. Qui autem ratione percipiatur, ad primum mobile pertinet, mundūmque totum in duo secat. Nec uero per omnem tractum urbemue, idem horizon est: sed sensu idem quadringentis ferrè stadiis manet. Quo fit, ut dierum longitudo

Zenith.



& clima & apparentiæ omnes euariantur. Ea ratione in sphærarum descriptionem horizon non adhibetur, quod reliqui circuli omnes ab ortu ad occasum circumacto mundo una rapiuntur. Horizon suapte natura quietem amat, eodemq; semper seruato situ: ob id non incommode situs eius ab alio, in quo sphæra armillaris reuoluitur, in-

RUDIMENTA


telligi solet. Et omnium horizontum capit is uer-
tex, polus dicitur. Nam tale pūctum omni quaque
ab finitore æquidistat.

DE MERIDIANO CIRCVLO.

Meridianus, est circulus maior per punctum
uerticis, qui zenith dicitur, & polos mundi trans-
iens. In quē cum sol incidit, medios dies, mediās-
que noctes efficit. Hic etiam circulus, immotus in
mundo est. Nisi circuli huius naturam exacte co-
gnoueris, haud

facile longitu-
dinū, urbiūm-
ue distantiam,
quam definit, *Polus arcticus.*
intelligas. Por-
rò obseruatio-
ne dignum, cir-
culos hos non
nisi inter or-

Zenith.



Polus antarcticus.

tum atque occasum mutari: & ob id eodem tem-
poris momento medios dies, mediāsque noctes ef-
fici illis, qui sub eodem meridiano versantur. Solis
exortus tamen propter latitudinis diuersitatem,
non iidem permanent.

DE

*DE QVATVOR CIRCVLIS
sphæræ minoribus.*

Minor circulus dicitur, qui sphæram in portiones inæquales secat: uel qui aliud centrum habet, quam mundi centrum.

Arcticus circulus, est quem polus zodiaci ad motum primi mobilis circa polum mundi arcticum describit.

Antarcticus, est quem alter polus zodiaci circa polum mundi antarcticum causat atque describit. Nuncupamus autem polum zodiaci undecunque ab ecliptica æquidistantem. Sunt enim poli eclipticæ, axis eclipticæ extremitates. Et quanta est maxima solis declinatio (de qua supra diximus) tanta est poli zodiaci à polo mundi distantia.

„AB axis zodiaci.


„A est polus zodiaci arcticus.

„B est polus zodiaci antarcticus.

„AC est circulus arcticus.

„BD est circulus antarcticus.

Tropicus Cancri, est circulus minor, quem sol in B iij




RUDIMENTA

principio cancri existens ad motum primi mobilis describit. Dicitur etiam tunc solsticium, quod sol non ultra ad septentrionem procedat. Nomen à conversione usurpat.

Nam τροπή Græcis mutatio seu conuersio est. Inde τροπή
κός quasi uersus. Distant ab æquinoctiali gradibus 23. minutis 30.

Tropicus Capricorni, qui & Brumalis dicitur, est, qui ultimò à sole describitur uersus Austrum, in quo brumalem reciprocationem facit, diemq; efficit breuissimam, & noctem prolixiorrem. Fit autem hoc, cum sol principium capricorni attingit. Ceterum id tempus Brumam uocant Latinis scriptores.



a. ostēdit tropicum cācri.
b ostēdit tropicum capri.

DE QVINQUE PARALLE- lorum interuallis.

Cap. IIII.


PArallelus, quasi alternus. à quo lineas æque distanteis parallelas uocamus. ideoque segmenta mundi, quæ nos circulos dicimus, Græci

παραλ-

$\pi\alpha\epsilon\chi\lambda\eta\lambda\gamma\varsigma$ nominant. Quinque itaque duntur
 aequidistantes circuli sive $\pi\alpha\epsilon\chi\lambda\lambda\lambda\varsigma$ in
 sphæra describi solent, quod tamen non eo ualeat,
 quasi iij soli in mundo aequidistantes sint, quippe
 cum sol quotidie aequidistantem Aequatori cir-
 culum (quod sensu animaduerti licet) mundi ro-
 tu peragat. Non tamen hi omnes in sphæram
 adhibentur, quia non adeo utiles ad prima Astrologie
 rudimenta existimati sunt. Quinque
 uero aequidistantes circuli, ob certa compendia,
 que Astrologie & Geographie tyronibus affer-
 runt, optimo iure in sphæram sunt adhibiti, scili-
 cet Septentrionalis, Solstitialis, Aequator, Bru-
 malis & Antarcticus. Cum autem circulus ma-
 jor in sphæra sit trecentorum & sexaginta gra-
 duum, & quadrans nonaginta: manifestum est,
 aequinoctialem à polis mundi 90. gradibus distan-
 re: quæ est quarta pars circuli. Si rursus à gradi-
 bus 90. subtraxeris gradus 23. minuta 30. (quæ
 est maxima solis declinatio, seu, quod idem est, di-
 stantia tropicorum ab aequinoctiali) qui remanet
 gradus 66. minuta 30. manifestat distanciam tro-
 picorum à polis mundi, & per consequens circulo-
 rum polarium ab aequinoctiali. Rursus si à gradi-
 bus 66. minutis 30. maximam tropicorum di-
 stantiam ab aequinoctiali subtraxero, relinquetur

RUDIMENTA

quantitas interstitij 43 grad. inter tropicū Cancri
 & circulum arcticum: & eadem distantia est
 inter tropicum Capricorni & circulum antar-
 cticum.



DE

DE DUPPLICI DISSECTIONE


mundi, ac eius motu.

Cap. V.

HAe tenus Sphaera mundi que rotunditatem & circulorum diuisionem recitauimus. Reliquum est, ut de motu ac duplice eius partitione agamus. Mundus itaque bifariam diuiditur, secundum accidentem, & secundum substantiam. Primo secundum accidentem in Sphaeram rectam & obliquam. Sphaeram rectam uocamus, ubi alterque polus Horiizonta contingit, & æquator supra caput apparet, ut in logo tractu Aphricæ ac Asie, nunquam in Europa. Sphaera recta.

Recta dicta, quoniam illoru Horizon intersecat æquinoctialem, & intersecatur ab eodem ad angulos rectos Sphaerales, ita ut quaterni anguli recti ac æquales efficiatur. Spha-


ra obliqua est, dum alter polorum usui patet, alter uero semper deprimitur, ut nobis in tota Europa degentibus. Id quoque scitu dignum est, ne



R V D I M E N T A

nominum uarietas obfit, non modo sphæram, sed
 & orbem, horizonta, finitorem aut finientem, re-
 stum aut obliquum dici. Hoc pacto enim loqui-
 mur. Germani in orbe aliquo sunt: finitore, sphæ-
 ram, aut mundum obliquū habent. Nomen sum-
 ptum est ab aliquo Sphæra obliqua.

incessū siderum. solis
 enim globus obliquo
 transitu per aera fer-
 tur ab ortu in occasū.
 uel quod illorum hori-
 zon intersecat æquino-
 etialem, & interseca-
 tur ab eodem ad angu-
 los impares & obliquos.



Mundus iterum
 in duo diuiditur secun-
 dum essentiam, in æthe-
 ream regionem & ele-
 metarem. Elementaris
 quidē alterationi conti-
 nuæ peruia existens, in
 quatuor diuiditur, s. in-
 terram, aquam, aerem
 & ignē. Est enim ter-

Regio elementaris.




ra tanquam mundi centrum, in medio omnium sita, circa quam aqua: circa aquam aer: circa aeren ignis illic purus & non turbidus, orbem lunæ attingens. Omnia etiam præter terram mobilia existunt: quæ ut centrum ponderositate suâ magnum extremorum motum equaliter fugiēs rotundæ sphæræ medium possidet.

Circa elementarem quidem regionem ætherea regio lucida à variatione omni, sua immutabili essentia immunis existens, motu continuo circulariter incedit: & hæc à philosophis quinta nuncupatur essentia: cuius decem sunt orbes. In infinito itaque orbe Luna radiis solis accessa uelociore ambitu signiferi partes 28. ferè dierum spacio lustrat. Deinde Mercurij stella signiferi ambitum peragit trecentis sexaginta quinq; diebus, ab Sole nunquā absistēs partibus 28. longius. Tertius orbis secū rapit stellā Veneris, quæ etiā non nisi certo breuique à Sole spacio abscedit: & cognomina mutat, antecedens eum ac insequens. Quando Sole antecedit, aut ante eum oritur, Lucifer aut Φωσφόρος & nuncupatur: εστρέφεται aut Hesper, quando Solem insequitur, atque post eum occidit. Eadem uocem Virgilius usurpat, eo loco: Venit Hesperus, ite capella. id est, cerni incipit, non oritur. Nam Hesperus nunquam in oriente conspi-

citur, sicuti nec Lucifer in Occidente. Eius orbis anniferè spacio circumagit, ab sole nunquam absens partibus sex atque quadraginta longius. Nunc medio spacio solis globum constanti incessu aduersus decimi orbis celeritatem niti uidemur. & complet cursum suum sub ecliptica in spacio unius anni, quod spaciū est trecenū sexaginta quinque ferè dierū cum quarta diei parte. Quintus orbis cū in fixo sydere Martis, signiferi ambitum ab occasu in ortum lustrat duobus annis. Sextus Iouis stellæ est: circumagit annis duodenis. Septimus proximusque firmamento Saturni sydus circumagit, & omnes zodiaci partes annis tricenis ab occasu in ortū metitur. Octauus orbis firmamentum est, suo ambitu Saturni orbē comprehendens. In eo omnes quas cernimus stellæ, præter septem iam enumeratas, quæ erroneæ sunt, continentur. Et mouetur triplici motu: Primo ab ortu in occasum uelocitate extremi orbis. Secundo obliquo incessu ab occasu in exortū uirtute noni. Præter istos tertium ac proprium sibi uendicat, quem accessus & recessus motum, aut trepidationis nuncupauere. Hic ab æquinoctiorū notis in octauo orbe, circa æquinoctia noni fit. Nonus orbis inter extreum octauumque medius ab exortu in occasum quotidie cum decimo uoluitur.

uoluitur. Præter hunc alium habet proprium peculiaremque sibi, quo obliquo transitu ab occasu in exortum tendit. Hic incessus 49000 annorum spacio perficitur: quod tempus, Platonici uel Magni anni nomen usurpat. Est enim hic annus interuallum, quo sydera omnia ad eundem redeunt situm: quod eo tempore fieri credunt. Decimus extremusque orbis, omnia secum rapiens ab exortu in occasum uoluitur: cursusque uicenis quartinis horis peragit. Eo impetu omnia, quæ in mundo sunt, quotidie oriuntur & occidunt, præter terræ & Phœnix orbis centrum, quæ moles sua pte natura quiete amat. Hic Lunæ, Mercurij, Veneris, Solis, Martis, Iouis, Saturni, cœlique sydera intra diei noctisque spaciū circumagit. Supra hunc extreum mundi ambitum, quem Astrologi primum dicunt, Empyreum cœlum esse diuit. Id haud prætereundum, supra octauum orbē sue firmamentum nullas stellas aut sydera esse.

RUDIMENTA



Nomina & characteres Planetarum.

♄ ♃ ♀ ☽ ☽ ☽ ☽

Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Merc. Luna.


DE

DE QVINQVE ZONIS, TER-
ram habitabilem ab ægre habitibili di-
stinguentibus. Cap. VI.

QVINQUE in cœlo zonas quatuor minoribus parallelis tropicis uidelicet duobus, & arctico antarcticōque circulo segregari rectè mathematici afferunt: totidemque fascias in uniuersa terra (quam rotundam supponunt) constituūt. Strabo similiter in libri secundi fine, cœli zonas quinque ponit, quibus illæ quinque in terris fasciæ respondeant, & eius nominis esse ait Martianus lib. 5. Orbis (inquit) terræ in quinque zonas, siue melius fascias dico pro rerum diuersitate, discerni- tur, quarum tres intemperies multa, ob contrario- rum nimietatem relegavit: nam due axi utrinq; confines, algore immenso & frigoribus, desertio- nis causas, pruinis mergentibus præbuere. Media uero flāmis & anhelis ardoribus torridata, pro- pinquantes animatiū cōburit accessus. Aliæ au- tem due, uitalis auræ halitu tēperatæ, habitatio- nem animalibus indulserunt: quæ quidē per to- tius rotunditatē telluris incurvæ, tam supernū he- misphærium, quam inferius ambient. Zonarum discrimen belle Probus Grammaticus ait, è ma- nu accipi posse, si leuam contra ora nostra in ortū

R V D I M E N T A

folis uersa, digitis expansis introspeximus: ut ubi pollex est, ibi zonam esse arcticam, que & Septentrionalis uocatur, intelligamus, nimio rigore inhabitabilem. Pollici proximo digito tēperatam nostram, quam aestivalem nominant, indicari. Ut mediūs digitus æquinoctiali adustæ, & inhabitabili secundum uetus, respondebit. Quartus alteram temperatam ostendet, quam hyemalem Probus nominat, quod sol in eam inclinans nobis hyemem relinquit, sicut in nostram ascendens, estatem aperit, diésque longiores facere solet. Digitus minimus quintam zonam referet, Notiam & Australem dictam ob gelu perpetuum, & sicut Septentrionalis nostra, inhabitabilem.



QVAE

QVAE MVNDI PARTES DEX-
træ ac sinistræ appellantur.

Cap. VII.

Non eodem modo Geographi, Astronomi,
& Poetæ horizontem distinguunt. Dex-
tram enim mundi plagam Astronomi occiduam
appellant: eo quod astronomus pectus magis ad
meridiem uergit, ubi uelociſſimus stellarū cursus
est: Nam circa polum uix stellæ moueri percipiun-
tur. Geographi Septentrionalem plagam respi-
cientes (ubi poli altitudine querunt) Eo a dex-
tram mundi partem occupet. Ita enim globis &
Ptolemæi tabulis terra depingitur. De poetarum
plagis plura recitat Lucanus, ubi scribit de Ara-
bibus uenietibus Romam in auxilium Pompeio:
Ignotum uobis Arabes uenistis in orbem, U-
mbra mirati nemorum non ire sinistras. quoniam
in partibus suis quandoque erant illis umbræ dex-
træ, id est, Septentrionales: quādoque sinistræ, siue
meridionales: quādoq; perpēdiculares, quādoque
orientales, quandoque occidentales: sed quando
uenerunt Romam, repente mutatas umbras esse
ait Lucanus.


C

RUDIMENTA

SEPTENTRIO.

Dextra Poetarum.

OCCASUS.
Sinistra Cosmographorum.
Dextra Astronomorum.



ORTVS.
Dextra Cosmographorum.
Sinistra Astronomorum.

Sinistra Poetarum.

MERIDIES.

DE QVATVOR MVNDI RE-
gionibus, sive plagiis.

Cap. VIII.

Mundus iterum in quatuor partes sive cardines diuiditur, quos secundo libro Gellius coeli limites sive regiones appellat. Sunt autem, Orsus, Occasus, Meridies, & Septentrio. Vnde sol oritur, Oriens nuncupatur, aut Ortus: quo demergitur, Occidens, vel Occasus: quæ decurrit, Meridies: ab aduersa parte, Septentrio. in hoc diuersi-

tantum, quod Meridies & Septentrio perstant, suntque immobiles: Ortus uero & Occasus nunquam eodem modo se habent, propter sempiternam solis in gradibus signorum per ascensum & descensum mutationem. Hinc Eratosthenes (ut Varro libro de re rustica primo ait) orbem in duas partes maximè secundum naturam diuisit, ad meridiem uersus, & ad Septentriones. A latere igitur coeli, in quo supra horizontem sol ascendit, ortum: in quo se mergit, occasum accipimus: qui licet eadem in parte, id est, in spacio, quod inter tropicos est, semper sint, tamen nunquam contingit solem illinc oriri hodie, unde heri oriebatur: nec è regione pari modo occidere. Sed aliquando æquinoctialis oriens dicitur, cum in circulo currit, qui appellatur ἵσορύξη, aut ἴσομερίος, aut Solstitialis oriens, aut Brumalis, quæ sunt Δεκατητὸν ηγετεμποριαί. Similiter enim fit occasus eius aut Aequinoctialis, aut Solstitialis, aut Brumalis.

c ii

RUDIMENTA
SEPTENTRIO.



MERIDIES.

DE VENTIS, QVIBVS PRISCI
nauicularij fuerunt usi, & mundi parti-
bus, ex quibus spirant.

Cap. IX.

QVONIAM uentorum cognitio non nihil mo-
menti, imò magnam utilitatē ad Cos-
mographiam habere dinoscitur: ideo quædam de
ipsis & distinctione eorum trademus. In præce-
denti igitur capite ostensum est, solem habere tri-
plicem ortum & occasum secundum binostropi-
cos & æquatorem: uidelicet æstivalem, æquino-
ctalem & hyemalem: Et meridiei similiterque
ipsius Septentrionis utrinque assignemus latera:

his enim singulis proprij uenti correspondent, qui ab illis partibus flant. Veteres itaq; nautæ duodecim præcipue uentorū nomina literarū memoria celebrarunt. In meridie quidē austrum Latini ponunt, Græci ρότον, quoniam nebulosus est, atq; humectus: rotis enim græce humor nominatur. Ex diametro aut opposito uentus est, latine Septentrionarius, græce ἀπαρχής appellatus. Ex ortu æquinoctiali, hoc est, ab oriente uerno flat uentus, à Romanis nauticus Subsolanus cognominatus, à Græcis ἀπλιώτης. Sed qui ab æstina & Solstitiali orientis meta uenit, latine Hellestotius, καινίας græcè dicitur. Tertius uetus, qui ab oriente hyberno spirat: Vulturnū Romani uocant, Græci δύρον appellant. His oppositi & contrarij sunt alij tres occidui. Ex brumali occasu ueniētē Latini Africum, Græci λύβα appellant. Ab occasu solstitiali flantem Latini Corum, Græci ἀρκτής uocant. Medius illorū Fauonius, qui græcè ζεφυρός uocatur, aduersus Subsolanū flat. Inter Septentrione & solstitialē exortum Latini Aquilone, Græci ορέας locant. Boreas autē ἀπὸ βόρη, hoc est, à uociferando dicitur. Inter Austrum & Brumalem exortū Latini Euroaustrū, Græci δύροτον ponunt. Austro deinde & Africo Latini Euro-africum, Græci uero λυσόν & interponūt. Inter.

RUDIMENTA

Septentrionem tandem & Corum Latini Circum, Græci θεασκίας ponunt. Horum duodecim uentorum nomina & mundi partes, ex quibus spirant, in subiecta patent figura.

SEPTENTRIO.

Circius
θρασκίας
Septentrion
απελερτίας
Aquilo
Cōgēas

Hellepon.
κακίας
Subsolanus
απηλιώτης
Vulturnus
λύγος

Corus
ἀρκίσης
Eanomius
ζέφυρος
Aphricus
λίνη



Euroaph.
λίβορος
Auster
νότος
Euroauster
λιγονότος

MERIDIES.


DE LONGITUDINE
terræ locorumque. Cap. X.

Longitudo loci sive habitationis, est Aequatoris, uel sibi æquidistantis circuli segmentum, meridiano locie eiusdem & Fortunatarum insularum meridiano comprehensum: quia ueteres Geographi superficiem terræ describere, & ex stadiis mo locorum intercapelinem inquirere uolentes, posuerunt primum longitudinis gradum in Occidente, hoc est, in Fortunatis insulis, quæ nunc ab Hispanis, magnæ Canariæ appellantur: deinde secundum ordinem numerorum in ortum, telluris ambitum depinxerunt, & meridianis distinxerunt. Est autem Meridianus in terra circulus, qui per terræ polos & locum tuæ habitationis dicitur: in quem enim cum sol incidit, meridiem efficit omnibus habitantibus sub illo meridiano, unde gradus mensurantes arcum æquatoris inter primum longitudinis gradum, seu primum meridianum, qui occasum solis claudit, & meridianum qui transit per locum tuæ habitationis, gradus longitudinis tuæ habitationis uocantur. Meridiani itaq; semper mutatur cū ab ortu in occasum, & econtra progrereditur: ad Austrum uero

R V D I M E N T A

Boreamue quantumuis progreditur, semper idem
meridianus seruatur, prout manifestissime cerni-
tur in figura sequenti.

P O L V S A R C T I C V S .



P O L V S A N T A R C T I C V S .


DE LATITUDINE TERRÆ.

Caput. XI.

LAtitudo terræ vel habitationis, est arcus meridiani inter æquatorem & zenith capitum interceptus. Zenith, est punctus qui nobis supra uerticem capitum eminet. Porrò latitudo terræ semper æqualis est altitudini seu eleuationi poli supra horizontem: quadam tamen ratione inter se differunt. Nam eleuatio sive altitudo poli, est arcus meridiani inter polum mundi & horizontem interceptus.


POLVS ARCTICVS.

titudo uero loci, est arcus meridiani inter zenith caputum & æquatoris circulum contentus, ut appearat in praesentifigura.



POLVS ANTARCTICVS.

R V D I M E N T A



- D. Polus arcticus
- B. Zenith capitinis
- G.H. Aequinoctialis
- A.C. Horizon
- D.C. Altitudo poli
- B. G. Distantia zenith
ab aequinoctiali, siue la-
titudine terræ.

*QVOMODO LATITVD O RE-
gionis siue altitudo poli per quadrantem, omni-
die totius anni sit obseruanda.*

Caput XIX.

*S*i igitur altitudinem poli supra horizontem,
siue latitudinem regionis obseruare uolueris:
prius ex metallo, puta cupro aut aurichalco, uel
ex ligno duro, solido ac firmo fabrica tabula plati-
na, in cuius superficie describe quartam partem cir-
culi, ita ut semidiametri duo sese in centro ad an-
gulos rectos intersecent: per II. Euclidis. Deinde
semidiametro alteri pinnulas ex aequali perfora-
tas appone, per quas radij solares possint dimitti.
Limbum uero quadrantis diuide in 90. gradus.
hoc modo. Primum in 3. partes aequas, secundo ite-
rum



rum quamlibet in tres, tertio quamlibet in duas, demum quamlibet in quinque: & partitus est quadrans in 90. partes aequales. Deniq; fige in centrum perpendicularum, & appone numeros à leua in dextram de 10. in 10. & partus est quadrans, quantum ad hoc negotium attinet. huius hæc est figura.

V SVS Q V A D R A N T I S.

Obiuce leuam quadrantis pinnulam ipsi soli radanti, precise, quando tangit meridianum, demisso libere perpendicularo: deinde leua paulatim aut de prime quadrantem, donec radius solaris pertranseat subtiliora pinnularum foramina. Quo facto supputa gradus limbi ab numerorum initio, ad filum ipsum siue perpendicularum: nam tanta erit solis super horizontem altitudo: quam serua. Deinde quære signum & gradum zodiaci in quo mouetur sol eodem die, ex Ephemeridibus, vel ex aliquo instrumento. Quod si sol in septentrionali quopiam signo inuenitus fuerit, declinationem

R V D I M E N T A

eius ab æquinoctiali ex sequenti tabula cognosce,
quam à Solis altitudine meridiana surripe, & pa-
rebit elevatio æquatoris. Quæ rursus à 90. gradi-
bus sublata latitudinem tuæ regionis siue eleua-
tionem poli relinquit. Quòd si sol per meridionale
graditur signum, declinationē solis ex tabula in-
uentam altitudini meridianæ adde, & prodibit e-
levatio æquatoris. quæ, ut iam dictum est, à 90.
reiecta, latitudinem regionis siue elevationem po-
li manifestabit.

V S V S T A B V L A E.

Cognito loco solis, eius declinationem ab æqui-
noctiali sic inuenies. Quære signum in quo sol est
dato die in capite uel in pede tabulae. Si in capite ta-
bulæ fuerit inuentum, quære gradum eiusdem in
linea descendenti aut in linea ascendi, si solis
signum in calce tabulae eiusdem repertum fuerit.
Numerus igitur graduum & minutorum, quem
in angulo communi inuenturus es, erit declinatio
solis quæsita.

Tabula

Tabula declinationis Solis per omnes gra. Eclipti.
 Aries Taurus Gemini Sig. Septen.
 Libra Scorpi. Sagitt. Sig. Merid.

S.	S.M.	S.M.	S.M.	S.
0	0.0	12.16	20.38	30
1	0.26	12.37	20.40	29
2	0.52	12.58	21.0	28
3	1.18	13.19	21.11	27
4	1.44	13.40	21.21	26
5	2.10	14.0	21.31	25
6	2.36	14.20	21.40	24
7	3.2	14.40	21.49	23
8	3.28	14.59	21.58	22
9	3.53	15.18	22.6	21
10	2.19	15.37	22.14	20
11	4.45	15.55	22.21	19
12	15.10	16.13	22.28	18
13	5.35	16.31	22.35	17
14	6.0	16.48	22.41	16
15	6.25	17.5	22.47	15
16	6.50	17.22	22.52	14
17	7.15	17.38	22.57	13
18	7.39	17.54	23.2	12
19	8.3	18.10	23.7	11

RUDIMENTA

20	8.27	18.25	23.II	10
21	8.51	18.40	23.IV	9
22	9.15	18.55	23.VIII	8
23	9.39	19.9	23.XI	7
24	10.2	19.23	23.XII	6
25	10.25	19.36	23.25	5
26	10.48	19.49	23.27	4
27	11.10	20.2	23.28	3
28	11.32	20.14	23.29	2
29	11.54	20.26	23.30	1
30	12.16	20.38	23.30	0

Virgo Leo Cancer Sig. Septentrio.

Pisces Aquar. Capric. Sig. Meridio.

In exemplari supputatione rem intellectu faciliorem reddemus. Ponatur quod solis altitudo meridiana sit 61.gra.23.min. Gradus solis in quo dato die mouetur, sit 6.leonis. Declinatio eius ab æquinoctiali circulo est 19.gra.23.mi. septentri- nalis. Subtrahe igitur 19.gra.23.mi. ab altitudine solis meridiana 61.gra.23.mi. & remanet eleva- tio æquatoris in circulo meridiano 42.gra. Ea de- pta ex quadrante, hoc est, ex 90.gra. remanebit 48.gra. quæsita regionis latitudo.

DE LONGITUDINE REGIONVM,
oppidorum, locorumque inuestiganda.

Cap. XIII.

Longitudinem regionum aut ciuitatum sic inuenies. Considera pertabulas Eclipsum aliquius notae longitudinis initium eclipsis Lunaris, & in alio oppido cuius longitudine tibi ignota fuerit, obserua horam & eius minutum ad principium eiusdem eclipsis. Quod si initium eclipsis ex tabulis oppidi notae supputatum, & principium eiusdem oppidi notae longitudinis in horis & minutis concordauerint, ambo oppida eandem habent longitudinem, & sunt sub uno meridiano, ita quod inter ipsa nulla est distantia longitudinis. Si autem initium eclipsis Lunæ per Astrolabium obseruatum fuerit plus in horis & minutis, quam initium per tabulas computatum, aut contra:ea oppida diuersos habent meridianos, & diuersam longitudinem. quam sic cognoscet: Subtrahe numerum horarum & minutorum minorem à maiori, & id quod remanserit, dicitur differentia temporis unius oppidi ab alio. Accipe igitur pro qualibet hora 15. gradus, & pro quibuslibet quatuor minutis temporis 1. gradum, & pro quolibet minuto temporis 15. minuta gradus. Tandem adde gradus gradibus, & minu-

ta minutis, & collectum, longitudinem oppido-
rum propositorum indicabit. Inde etiam liquet,
quod duo loca quibus idem lunaris defectus eo-
dem conspicitur tempore, sub uno existunt meri-
diano: & locorum duorum quibus idem Lunæ de-
fectus ante meridiem diuerso videbitur tempore,
orientaliorem esse eum, cuius tempus defectus an-
temeridianum minus extiterit. & duorum loco-
rum quibus idem Lunæ defectus post meridiem
diuerso videbitur tempore, eum rursus esse orien-
taliorem, cuius tempus postmeridianum quo Lu-
na deficit, maius fuerit. Et si Lunæ deliquium uni
duorum locorum contigerit in meridie, alteri uero
ante meridiem uideri, ille locus erit orientalior, cui
deliquium Lunæ in meridie videbitur. At ubi Lu-
næ defectus, uni duorum locorum in meridie, al-
teri post meridiæ conspicietur: ergo ille locus orien-
talis existit, cui Lunæ deliquium post meridiem ui-
detur. Similiter Lunæ deliquio conspecto, apud
unum duorum locorum post meridiem, apud al-
terum uero ante meridiem, ille rursus orientalis
existit, qui lunarem defectum postmeridiem in-
tuetur.

Vt Arbilis urbs Assyriæ orientem uersus, ha-
buit eclipsim Lunæ hora quinta, quando Cartha-
go occidentem uersus hora secunda. Tribus ergo
horis

horis distant gradibus 45. authore Ptolemæo lib.
1. cap. 4. Quia autem via locorum situs in longitudine & latitudine deprehēdantur, Ptolemæus obscuris quibusdam tetigit uerbis lib. 1. cap. 2.

DE PARTIBVS TERRÆ ET earum longitudine ac latitudine.

Cap. X^{IIII}.

Tota terra Ptolemæo cognita habet latitudinem 80. graduum, longitudinem uero 180. hanc quoque terminari dixit à quatuor orbis partibus terra incognita, quamvis plerisque in locis Oceano intercepta uidelicet ab ortu solis terra incognita, quæ populis orientalibus maioris Asiae, Sinarum scilicet atque Serum, adiacet.

A meridie similiter terra incognita quæ Indicū pelagus cingit, quæ uero amplectitur meridionalem Aethiopum regionē Agisimbam nominatam, ab occasu etiam terra incognita, quæ sinum Africæ Aethiopicū cingit, & deinde occidentali Oceano, qui ultimas occidentis partes alluit.

A septētrione, Oceano, qui insulas Britanniae circumpleteatur, & partes Europæ maxime septētrionales claudit: præterea limites reliquos habet terram incognitam, quæ partibus Asiae maxime septētrionalibus imminet Sarmatiæ scilicet,

Scythia atq; Serū. His sunt termini habitabilis no-
stræ à Ptolemaeo descripti. Nunc autē multo am-
plior latitudo & ad septentrionē & ad meridiē,
maiōrq; longitudo ipsius cognita est Americi Ve-
sputij, aliorūq; lustratione, cōpertumq; est ipsam
uelut quandā ingentē insulā ab omni parte Ocea-
no ablui ac circumnauigari. Hæc etsi unica sit, in
tres tamen partes ueteres illam distinxerūt, qua-
rū præ magnitudine prima est Asia, secunda Afri-
ca, tertia Europa. Asia coniungitur Africæ per
Isthmum Iudaicū, seu per dorsum Arabiæ coar-
ctatum inter mare nostrū & sinū Arabicū. Eu-
ropæ & Asiae coniunctio fit per dorsum quod in-
ter paludem Maeotim & Sarmaticū Oceanū ex-
currit super Tanais fluuij fontes. Africa nusquam
per se se Europæ cohæret, mari nostro inter utrasq;
interiacēte. Europa ab Occidēte mari Atlantico,
à Septentrione Britannico, ab Oriēte Tanai flu-
vio, Maeotid e palude & mari Pontico, à Meridie
mari mediterraneo quod nostrū appellatur, clau-
ditur. Africa ab Occidente mari Atlātico, à Me-
ridie Oceano Aethiopico, à Septētrione mari Me-
diterraneo, ab Ortu Isthmo Iudaico. Asia que cæ-
teras magnitudine et opibus uincit, ab Occidēte ha-
bet eosdē terminos, quibus Europa & Africa ab
Oriēte claudūtur, à Septētrione terminatur Ocea-

no scythico, eb Oriente Eoo Orietaliq; Indico, à Meridie meridionali Indico & Rubro. Nō solū autē predictæ tres partes, nūc sunt latius lustratae, uerū & alia quarta pars ab Americo Vesputio sagacis ingenij uiro, inuenta est. Quam ab ipso Americo eius inuentore Amerigen, quasi Americi terram sive Americam appellari uolunt. Istius terræ pars Africæ opposita propinquior est cōtinenti nostræ habitabilis, nec tamen propinquius ad eam accedit, quam 20. gradibus uel citra. Hunc in modum terra iā quadripartita cognoscitur, & primæ tres eius partes continentæ sunt, quarta insula, cum omniquaque mari circundata conspiciatur. Trium insuper partium terræ Priscis notæ cognitionem Ptolemaeus tradidit in 26. tabulis, quarum 10. sunt Europæ, quatuor Africæ et duodecim Asiæ. quas autem & quot regiones quælibet tabularum cōtineat, & in quo libro à Ptolemaeo tractantur, ex sequentibus facile cognitu est.

IN EVROP A PROVINCIÆ SEV
Satrapiæ notæ triginta & quatuor, in
tabulis decem.

EX SECUNDO LIBRO PTOLEMAEI.
In prima Tabula Europæ.

Hibernia Insula &

D ij

R V D I M E N T A

Albion insula Britannicæ, nunc Anglia.

In secunda tabula Europæ.

Hispaniarum scilicet

Betica, nunc regnum Granatæ

Lusitania, nunc Portugalia

Tarraconensis, nunc Catalonia

In tertia tabula Europæ.

Gallia Aquitania, nunc Francia & Burgundia

Gallia Lugdunensis, nunc Francia Normandia

Britannia minor & Thuronia

*Gallia Belgica, nūc Picardia, Lutzelburgia, Lot-
tringia, Burgundia, Alsacia & Suicia, nec non
Rhinenses.*

Gallia Narbonensis nūc Prouincia uel Delphinatus

In quarta tabula Europæ.

*Germania magna, quæ cōtinet Franconiam, Ve-
stualiam, Hassiam, Saxoniam, Marchiam, Thu-
ringiam, Misniam, Slesiam, Moravia, Bohemiam
& Voitlandiam.*

In quinta tabula Europæ.

Rhetia, nunc Suevia

Vindelicia, nunc Bauaria

Noricum. etiam dicitur Stiria

Pannonia superior, nunc Austria

Pannonia inferior, nunc Hungaria

Illyris, nunc Sclauonia

Dalma

Dalmatia

EX TERTIO LIBRO.

In sexta tabula Europæ.

Italia

Cyrnos seu Corsica insula

in septima tabula Europæ.

Sardinia insula &

Sicilia

In octaua tabula Europæ.

Sarmatia Europa, nūc Polonia, Masouia, Lithuania, Curlandia

Liuonia

Rusia & Gottia

In nona tabula Europæ.

Iaziges Metanastæ, nūc pars Hungariae ultra Danubium in septentrionem & orientem porrecta

Dacia, nūc Transyluania & Valachia

Mysia superior, nūc Seruia

Mysia inferior partim Bosna & Bulgaria

Thracia, nūc Turcia

Chersonesus

In decima & ultima tabula Europæ.

Macedonia

Epirus, nūc Romania

Achaia

Eubœa, insula Nigropont

RUDIMENTA

Peloponessus, nunc Morea
Creta insula, nunc Candia

EX QVARTO LIBRO

Ptolemæi prouinciae Africæ un-
decim, in tabulis quatuor.

In prima tabula Africæ.

Mauritania Tingitana, nunc Barbaria
Mauritania Cæsariensis

In secunda tabula Africæ.

Numidia.

Africa minor

In tertia tabula Africæ.

Cirenaica quæ & Pentapolis

Marmarica

Libya

Aegyptus inferior

In quarta tabula Africæ.

Libya interior

Aethiopia interior

Aethiopia sub Aegypto

IN ASIA PROVINCIÆ QVADRAGINTA & octo, tabulis duodecim. Ex quinto libro
Ptolemæi.

In

In prima tabula Asiae.

Pontus & Bithynia
Quæ proprie Asiae dicitur Turcia
Phrygia magna
Lycia
Galatia
Paphlagonia
Pamphilia
Cappadocia
Armenia maior
Cilicia

In secunda tabula Asiae.

Sarmatia Asiatica

In tertia tabula Asiae.

Colchis
Iberia
Albania
Armenia magna

In quartata tabula Asiae.

Cyprus insula
Syria
Syria Palæstina quæ vocatur Iudea.
Arabia Petrea
Mesopotamia
Arabia deserta
Babylonia

RUDIMENTA

In quinta tabula Asiae.

Affyria

Media

Susiana

Perfis

Parthia

Carmania deserta

In tabula sexta Asiae.

Arabia fœlix

Carmania

In tabula septima Asiae.

Hyrcania

Margiana

Bactriana

Sogdiana

Sacæ

Scythia intra Imaum montem.

In tabula octaua Asiae.

Scythia extra Imaum montem

Serica Regio

In tabula nona Asiae.

Aria

Paropanisadæ

Drangiana

Arachosia

Gedrosia

Tabula

Tabula decima Asiæ.

India intra Gangem

Tabula undecima Asiæ.

India extra Gangem Sinarum regio

In tabula duodecima Asiæ.

Taprobanai insula.

Quæcunque igitur gentes subiacent Zodiaco,
iis sol fit supra uerticem à Boreâ descendens ad
Austrum, ascendensq; similiter: & aliis quidem
semel in anno, aliis uero bis. Sunt autem omnes
pariter qui sub Zodiaco habitat ab occasu ad or-
tum solis usque, nigri coloris, Aethiopes. & præci-
puè qui sub circulo æquinoctiali habitant, ij ad-
modum nigrescunt: qui autem extra lineam per-
pendicularem Zodiaci degunt, remissiores sunt
colore, & in albedinem tendunt secundum di-
stantiarationem, usque ad Sarmatas Hyperbo-
reos. Eadem est ratio Zodiaci ab utraque parte
æquinoctialis, & Boream uersus & Austrum,
usque ad Polos utrosque.

DE PARALLELIS CIR-
culis. Cap. XV.

SAnè nechoc prætereundum quòd ultra præ-
dictos quinq; parallelos circulos, de quo cap. 4.

diximus, alij & paralleli pro arbitrio scribi pos-
sunt, per singulos gradus. Verū Ptolemæus in suo
libro Cosmographico 21. tantum scripsit, incipiens
ab æquinoctiali uersus polum Arcticum, ita ut
unusquisque ab alio distet per horæ unius quar-
tam. Eadem ratio est & ad Antarcticū: quam-
uis Ptolemæus ille Pelusianus in magna sua con-
struccióne 33. posuit parallelos circulos. Aequino-
ctialis itaque facit diem & noctem æquales sem-
per, quoniam in eo tantum secat circulus Hori-
zon omnes orbes æquidistantes æquinoctiali in
duo media, ut satis capite 5. ostrinsum est. Et sunt
omnes portiones eorum quæ sunt supra terram si-
miles & æquales portionibus quæ sunt sub terra.
Vnumquèque autem orbium ei æquidistantium
ab eo declinatorum qui sunt præter ipsum in par-
te tam septentrionali quam meridionali, Horizon
secat in duas portiones diuersas. Et erunt portiones
quæ sunt supra terram eorum qui sunt in latitudi-
ne meridionali, minores eis quæ sunt sub terra, &
erunt dies breuioris temporis noctibus. Sed quæ
cunque portiones quæ sunt supra terram in lati-
tudine septentrionali, erunt dies longioris tempo-
ris noctibus. Iam sequuntur paralleli cum gra-
dibus latitudinis & horis longissimi diei.

i. Parallelus cuius longiorus diei longitudo est

12. horarum cum quarta horæ, quæ sunt de horis equalibus. Distat ab æquinoctiali ferè 4. g. 15. descripta supra insulam Taprobanam, quæ apud Ptol. in magna constructione Berbenis dicitur.

2. Parallelus, longissima dies habet 12.¹.₂. Distan-

tia ab æquinoctiali est 8. g. 25. mi. descripta super

sinum Aulicum. 3. Parallelus lon. di. 12.

ho. tres quartæ, latitudo ipsius. 12. gra. 30. mi. de-

scripta supra sinum Adulicum. 4. Parall.

dies lon. 13. ho. latitu. 15. g. 27. mi. supra insulam

Meroen. 5. Parall. ho. 13. mi. 15. latit. 20.

g. 14. mi. descripta per Nabatha. 6. Parall.

ho. 13.¹.₂. latitu. 23. g. 51. mi. descripta per Syenen.

7. Parall. ho. 13. 45. latitu. 27. g. 40. mi. descrip-

ta per Ptolemaidem quæ in Thebaida est, quæ-

que Mercurij ciuitas appellatur. 8. Parall.

ho. 14. latitudo 30. g. 22. mi. descripta per inferio-

rem Aegypti regionem. 9. Parall. ho. 14.

mi. 15. latitu. 33. g. 18. mi. descripta per mediū Phœ-

nican. 10. Parall. ho. 14. mi. 30. latitu. 36.

per Rhodum insulam. 11. Parall. ho. 14.

mi. 45. latitu. 38. g. 35. per Smyrnæn. 12. Pa-

ral. ho. 15. latitu. 40. g. 56. per Hellespontum.

13. Parall. ho. 15. mi. 15. lat. 43. g. 5. m. per Massilia.

14. Parall. ho. 15.¹.₂. lat. 45. g. mi. 1. per Pontum.

15. Parall. ho. 15. mi. 45. lati. 46. g. mi. 51. per fon-

- tes Danubij. 16. Parall. ho. 16. latitu. 48.g.
 32.mi. per Boristhenis ostia. 17. Parall. ho. 16.
 mi. 15. latitudo 50.g. 15.mi. per paludes Meotidas.
 18. Parall. ho. 16. $\frac{1}{2}$. la. 51.g. 30.m. supra austra-
 lisima Britanicae. 19. parall. ho. 16. mi. 45. la. 52.
 g. 50.mi. descripta supra ostia Rheni fluuij.
 20. Parall. ho. 17. latit. 54.g. 1.mi. descripta per
 egressiones Tanais. 21. & ultimus paralle-
 lus ho. 17. mi. 15. latitudo ab æquinoctiali 55.gra-
 duum, descripta super Brigantium.

DE CLIMATIBVS.

Cap. XVI.

Clima spaciū terræ est inter duos parallelos
 comprehensum, in quo per dimidiam horam
 accidit variatio longissimi diei: ac ita evenit ut ra-
 tio climatum dupla sit ad parallelos, quoniam pa-
 ralleli per quadrantes distant: climata uero per
 horæ unius partem dimidiam. Ceterum tam pa-
 ralleli, quam climata, nomina sua sortita sunt à lo-
 cis insignioribus, per quæ transeunt aut compre-
 hendunt. Quod sic intelligendum est. Clima est
 spaciū terræ inter duos parallelos seu æquidistā-
 tes

tes interceptum, in quod orrectissimi diei ab initio climatis usque ad fine est dimidiæ horæ uariatio, quia elongando ab ipso æquatore (ut in præmisso cap. ostensum est) fiunt dies semper inæquales. Ideoque quanto plus clima seu regio climatis elongatur ab æquinoctiali uersus septentrionem uel meridiem, tanto sunt dies longiores noctibus. Clima, siue illas portiones, denominarunt ueteres astrorum periti ab insigni aut urbe aut fluui, uel monte, ut ex sequentibus patebit.

Primum dicitur Dia Meroes, quia medium primi climatis transit per Meroen, quæ est ciuitas Africæ. Et sic de cæteris intelligendum est.

Primum Dia Meroes. ciuitas Africæ.

Secundum Dia Syenes. ciuitas Aegypti.

Tertium Dia Alexandrias. Metrop. Aegypti.

Quartum Dia Rhodu. Asiæ minoris Insula.

Quintum Dia Rhomes. urbs Euro. notissima.

Sextum Dia Boristhenus. fl. mag. Sarmatiae.

Septimum Dia Rhipheu. mons in Sarmat. Eu.


Climata ad merid. Ptole. non posuit, cum illud ter ræ quodcunq; est, uix aut ægre habitatum existimat. Cæterum ut hic denominata sunt climata septem, pari itaque modo propter terram nuper inuentam in parte meridionali appellari possunt

RUDIMENTA

Græca particula arti, quæ sonat contrà, Latine.

Primum	Anti dia Meroes
Secundum	Anti dia Syenes
Tertium	Anti dia Alexandrias
Quartū Clima meri-	Anti dia Rhodu.
Quintū dionale	Anti dia Rhomes
Sextum	Anti dia Boristhenus.
Septimum	Anti dia Rhipheu.

Pro istarum tamen intellectu sequens
figura tibi inseruiet.



IN

IN QVO DIFFERVNT, IN-
sula, Peninsula, Isthmus & Con-
tinens. Cap. XVII.

Ab aquis igitur omnis terra quadrifariam se-
catur. Aut sit Insula, aut Peninsula, aut Isth-
mus, aut Continens. Insula itaque est ea pars ter-
ræ quæ à maioribus terræ partibus seiuincta un-
dique aquis alluitur. Ut Rhodus, Sicilia, Corsica,
Taprobana, Iava, America, Islandia. Peninsula
seu Chersonesus, quæ plane insula non est neque
continens, sed undique ferè aquis clausa, aliqua
tamen angustia continentis annectitur. Et sunt
quatuor insigniores, Ut Peloponesus arx totius
Græciae quondam dicta, nunc autem Morea di-
citur, in Mari mediterraneofita. Aurea Cher-
sonesus in mari Indico meridionali. Cimbrica in
mare Germanicum sese extendit. Taurica Cher-
sonesus in pontum Euxinum circa Bosphorum
Thracium procurrit, ubi & Maeotis exonerat
pontum, circa quam etiam Danubius cantatissi-
mus Rhetiam, Boiariā (quæ olim à Romanis &
Græcis Vindelicia dicta est) utranque Pannoniā,
Daciam & Misiam præterfluens, pontum subit
& emoritur. Isthmus dicitur terra inter
duo maria conclusa, proprietamen iter ad Cherso-

nesum porrigit. Ut Corinthiacus inter Achaiam
& Peloponesum, quem nauigabili alueo Deme-
trius Rex, Dictator Cæsar, C. Princeps, Domitius
Nero infausto(ut omniū patuit exitu) incepto per-
fodere tentauerunt. De quib. lege Plin. naturalis
historiæ li. 4. cap. 4. Dorsum Arabiæ inter sinum
Arabicum & mare Aegyptiacum. Dania quæ
ducit iter ad Cimbros, & tota Italia. Continens
dicitur omnis terra solida siue fixa, quæ nec Insula
nec Peninsula nec Isthmus est, sed tota sibi con-
stat & cohæret: quamvis interdum (quòd nullius
est momenti) sinibus maris fracta conspicitur: Ut
Misnia, Saxonia, Bohemia, Franconia, Boaria,
Dacia, Turingia, Pannonia, Suenia, &c.

Ecce

Ecce summariam divisionem.

Omnis ter- ra est	Aut Insula	América
		Sicilia
	Iava	
	Rhodus	
	Morea	
	Aut Peninsula	Taurica Cher.
		Aurea Cher.
	Cimbrica Cher.	
	Corinthiacus	
	Dorsum Arabi.	
	Aut Isthmus	Italia
		Dania
	Misnia	
	Pannonia	
	Boiaria	
	Aut Continens	Saxonia.

RUDIMENTA

Figura huius divisionis tibi hic
ob oculos posita est.



DE VSV TABVLARVM PTO-
le. & qualiter uniuscuiusque regionis, loci
aut oppidi situs in illis sit inueniendus.

Cap. XVIII.

INvestigaturus itaque alicuius oppidi situm in
tabulis Ptolemæi, elicias imprimis gradus lon-

gitudinis & latitudinis ex abaco regionum, prouinciarum, & oppidorū, qui frequenti dispositione hoc modo ordinantur. Ut loco primo eorū nominibus scripta cernantur. Deinde in directo cuiuslibet loci siue oppidi, scribitur primo ordine eius longitudo in gradibus & minutis. Secundo autem ordine eius latitudo scribitur consimiliter in gradibus & minutis. Quibus habitis quære in tabula sibi copetēti longitudinis quidem gradus in capite tabulæ seu parte septentrionali, consimiliter in pede seu meridionali parte. Gradus uero latitudinis & eius partes quære in reliquis duobus lateribus, parte s. orientali & occidentali: & ut certior reddaris, terminis signa delibilia adiicito. Deinde expande filum super puncta longitudinis in superiori & parte inferiori, filo sic inuariato. Fac ut alius aliud per puncta latitudinis filum extendat: locus in quo fila sese intersecauerint, erit locus aut situs oppidi illius aut habitationis, quam inuestigare optaueras.

Gratia autem lucidioris intelligentiae sequitur schema cum quibusdam locis, in quibus studiosus Geographiæ facilius forsitan iam deta intelliget.

TEmplum Appollinis in Epiro lon. 47.30. la. 37.50. Larissa ciuitas Macedoniae, long. 50.50.

E ij

R V D I M E N T A

mum, apud illos nox longissima breuissimaque dies statuitur. Non utique dubites suauissime Letor, quod Apostoli Christi inter se fuissent Antipodes, qui conuersis inter se pedibus stare solent: si Jacobus maior frater Ioannis Euangelistæ filius Zebedei auram spirasset in Gallitia, ubi nunc corpus ipsius (ut dicunt) requiescit: sicut Thomas Apostolus in India superiori. Certè Indi (quia diametratur fere) Hispanorum sunt Antipodes, & uestigia Hispanis, & ecōtra Hispani Indis obuerunt, & terram æque calcare soleat, quamvis non adeo præcise secundum dimetientem, tamen hac in re nihil distare uidentur, Antipodesque dici debent. Hoc idem uerissimus ille Strabo author non pœnitendus affirmat, dicens: Antipodes inter se quodammodo esse nescij non sumus. De quibus lege Plinium naturalis historiæ lib. 2. cap. 67. Volum laterranum & omnes ferè Geographos.

De Periœcis.

Periœci siue circumcolæ dicuntur, qui eodem sub meridiano, eodemque parallelo circulo manent: cùmque illis communia ferè omnia habemus, quum eandem simul Zonam incolimus. Et paria


paria nobiscum agunt anni tempora, scilicet Hyemem, Aestatem, Autumnum & Ver. pariter dierum noctiumque diuersitates, hoc est incrementa, & decrementa, & huiusmodi alia. Hoc tamen discriminis est, quod cum Sol nobis diem efficit, apud illos noctem esse ratio ipsa demonstrat. Tamen non eodem temporis momento occidit nobis Sol, & illis oritur.

De Antæcis.

Antæci siue Anticolæ dicuntur, qui in eodem circulo meridiano nostro lateri astant, latitudinem Austrinam latitudini nostræ æqualem, consimiliter æqualem longitudinem habentes. Qui etiam paria nobiscum tempora agunt, sed non pariter, hoc est, non uno temporis momento.

E iiiij

Locus habitationis.



*DE AMPHISCIIS, PERISCIIS,
Heterosciis.*

Cap. XX.

Terræ totius incola triplici umbrarum generis discernimus. Amphiscijs vocantur, quibus meridiana umbra, nunc ad Septentrionem, nunc ad Austrum procedit, quod sit in Zona torrida. Sed enim sole meante per Cancri sidus, umbras illic austinas, siue sinistras habent: bruma, dextras, uel arctoas. Periscijs sunt, quos signiferi axis circuitu suo comprehendit, ita dicti quod illorum umbræ molarum modo circumagantur.

Heteriscijs uero nuncupantur, qui alteram solum umbram habent, arctoam, uel austrinam: quales nos, & Antichthones nostri. Ergo Amphiscijs in Zona torrida dicuntur, Periscijs in frigidis, Heteriscijs in temperatis. Haec omnia satis indicat uocum compositio. Amphisciis solstitia quadruplici, Heterisciis duo, Perisciis unū. Qui enim sub Arctis habitant Periscijs, solstitium in Cancro habent. In Capricorno autem sicuti Sole carent, ita & eius statione. Simile de Austrinis iudicium.

R V D I M E N T A

QVID SIT APVD SCRIPTORES
urbem distare tribus, aut quatuor
horis ab occasu.

Cap. XXI.

I Nter ortum & occasum, hoc est, stationem Sinarum, & Fortunatas insulas singulæ horæ quindecim partes continent. Tot enim gradus eo tempore Meridianum circulum prætereunt. Sic Ptolemæus Chaoniam ab occidente horarū trium spacio, siue gradibus quadraginta quinque abesse ait. Ab æquatore uero, hoc est à medio mundi, ad Septentriones distare urbem duabus horis, est eā habere longissimā diem horarum quatuordecim: tribus quindecim: sex, octodecim: septem, undeviginti. Quibus uerbis utilicebit in describenda latitudine & situ locorum, hoc modo: Duabus horis ab occasu, tribus ab æquinoctio, id est, in ea urbe esse scriptum librum uel epistolam, quæ ab occidente abest partibus tricenis, & tribus horis ab æquatore, uel ubi dies solstitio quindecim horis continet.

QVOMO

QVOMODO QVATVOR
 mundi plagæ diu noctuque sint
 inuestigandæ.

Cap. XXII.

Qatuor mundi plagas deprehēdunt gnomone in circuli centro erecto ad angulos æquales. Quotidie enim tum ante meridiem, tum à meridie sese umbra uel contrahit, uel extēdit ad circuitum circuli. Inter quos conductus medius punctus Septentrionem indicat. Idem quoque cœlo nubiloſo ex arborum contactu in ſylua die noctuque cognoscūt, quoniam cortices ſpectan-tes Aquilonem duriores ſunt plerunque, atque ri-mas altiores agunt. Ob id Columella arbores prius quam transferantur, rubrica notandas præcipit, ut eadē cœli partes aſpiciant, ne aut insolitus ca-lor pristinum diſſoluat rigorem: aut molliciem Austrinam Septentrionis lēdat.

DE NOMINIBVS AQUARVM.

Cap. XXIII.

Nomina aquarum uaria. Oceanum uoca-mus aquam seu mare, quod totam penè cir-

R V D I M E N T A

cuit terram. Mare propriè, quod terram influit, uel quod intra terram continetur: cuiusmodi, Ionum, Aegaeum, Persicum, Caspium. Portus à portando dictus, quòd illic merces uehendæ portentur, tutior maris pars est circa littus, ubi nubes hyemare possunt. Sinus inter litora curua est, & mare quasi brachiis amplectentia.

Fretum siue porthmus, locus angustior maris inter duo litora: sicut Isthmus terra angusta inter duo maria. Flumen, aqua perennis, ac perpetue fluens. Lacus, locus profundus aquas habens perpetuas. Stagnum, aqua stagnans, uel quiescens, quæ hyeme colligi solet & aestate siccati. Torrens, aqua quæ ex alto fertur in ualles. Hæc magno aestu torret, & bruma augetur imbris. Lacunæ fossæ nuncupantur, in quibus collecta aqua stare consuevit. Fons aqua est, quæ è terra manat, & hauriri potest manibus.

Palus aqua est in altitudinem latius diffusa.

Ad dexteram Siciliæ partem Scylla est, rupes, saxum, aut locus cauernis plenus, qui percussus à fluctibus latratus uidetur ædere: Ad sinistram Charybdis, quæ contrarius fluctuum cursibus collisionem facit, & raptæ absorbet. De his Vergilius. Dextrum Scylla latus, leuum implacata Charybdis

rybdis Obsidet. Syrtes à trahendo dictæ, duo loca maris periculosa sunt propter arenæ copiam in finibus Aphricæ.

DE MARIS ACCESSV ET
recessu.

Cap. XXIIII.

Donec Lunæ sidus ab oriente ad austrum, siue medium cœliscandit, in proximo littore decrescere maria haud dubium est: Inde ad occasum ipsa descendente augeri: Rursum ab occidente ad Meridianum minui, atque ab eo augescere, dum stella oriatur. Ergo quibus Luna in ortu vel occasu apparet, his plenum mare, & tempus navigandi: quibus uero in circulo Meridiano consistit, supra aut infra horizonta, ab illis longissime abest mare. In accessu quandoque tardior mora ob impedimenta littorum. Deinde aquæ multæ propriam naturam habent, ut Euripus in Græcia septies quotidie refluens.

RUDIMENTA
DE EVROPA ET EIVS
partibus.
Cap. XXV.

Evropa appellata est ab Agenoris Phœnicum regis filia, quæ à Ioue ex Africa raptæ in Cretam abducta fuit, ab occidentis parte Atlâticō Oceano terminata. A Septentrione Britannico & Germanico magno, ab aduersa parte Mediterra-neo pelago includitur. Ab oriente habet Tanaini (quem Scythæ Silim uocat) & Mæotida (quæ iude Temeridan quasi matrem maris dicunt) & Pon-tum. Terra eximie fertilis, naturalem temperiem, cœlumque satis clemens habet, frugum, uini & arborum copia nullis posthabeda, sed optimis ter-ris comparanda. est adeo amena pulcherrimisque urbibus, castris, uicis, & pagis exornata. Populo-rum gentium uirtute longè Asia & Africa pœ-stantior: ceteris tamen terræ partibus minor, la-titudine nusquam 225. miliaria Germanica ex-cedens, nisi ubi circa medianam sui partem (quo ma-gnis frontibus tam uersus Meridiem quam uer-sus Aquilonem in altum procurrit) duabus alis, quibus draconis speciem reddit, maxime extenta est. Longitudine ab amne Tanai ad Gaditanum fretum

fretum, quā logissimē se expandit, implet 750. fērē Germana miliaria. In ea prima ab Occidente est Hispania tripartita (à Græcis Iberia dicta) draconis caput, quem supra retulimus, repræsentans: quæ ab antiquis scriptoribus intres regiones diuiditur: In Beticam, modò regnum Granatæ, Lusitaniam, quæ & hodie Portugalia appellatur, ac Tarracanensem: à nuperis autem Tarracanensis tractus. Hispania in quinque regna subdivisa est, scilicet in Galiciæ regnum, Nauarre, Castiliæ quod Castellæ & Legionis dicitur, Regnū Cathalonie & Aragonie. Proxima quæ Hispanis adiacet, Gallia est, ab Hispanis pyreneis montibus, ab exortu autem Rheno flu. rapidissimo à Germanis sequestratur, reliquis uero lateribus Oceano et pelago abluitur. à Ptolemæo in partes 4. diuiditur, in Aquitaniam, Lugdunensem, Belgicā & Narbonensem, quæ Gebenna & Iura montibus, ab reliquis Galliæ partibus excluditur & ad pelagus usque promittitur. Rhenum autem accolentes sunt Bassæ & altae Germaniæ populi. Ab illis ad Sauromatas usque Germania magna promissa est. ad Aquilonem Germanico Oceano magno limite penè directo iungitur, nisi ubi Dania (quam hodie Daciam appellant) Chersonesum

RUDIMENTA

efficiens prominet. Ab Austro finitur alpi-
bus quas Ptolemæus Poenæ aut pœninas uocat.
Ipsa haud ulli fertilitate terræ postferenda, circa
montana argentum ceteraque metalla procreat,
nec priuata est auro. Rhenus, Danubio (qui septem
ostiis se in pontum exonerat) Necharo, Albi, cæ-
terisque limpidissimis fluminibus irrigatur. Dicta
autem est Germania à Teutonico uocabulo Ga-
reinman, quasi uictrix multarum gentium. In ea
prima gentium est Suevia, deinde Franconia, Tu-
ringia, Voitlandia. Spectat & meridiem Vinde-
licia, deinde Moravia, cui iungitur Pannonia, huic
Mesia prouincia ad pontum usque cum Danu-
bio decurrens. In media Bohemia Hercynia syl-
ua tanquam nativo muro undique cingitur. Ver-
sus aquilonem habitant Misnenses, Saxones: ab
iis Rhenum uersus Vuestphalia, Hassia, Hartzia,
Phrygia, Hollandia, ultraque Saxones Holsatia,
Silesia, Marchia, Mechelburgia, Pomerania que
ad Sarmatas porrigitur. Sarmatiā habitat Prusi,
Liuoni, Rusi, Mossoui, Lituani, Poloni, Vualachi,
Transsyluani. Deinde Dacia est, super quam
Thracia que Græcia modo appellatur, habens in
se particulares regiones, Epirum, Achiam, Ma-
cedoniam, Moream &c. cat. Sinum Adriaticum
cingunt

cingunt Dalmatæ, Illyrij in ipso flexu, Histriani
& forum Iulij. ultra quicquid est, uno nomine
Italia dicitur: cuius prouinciae sunt, Campania, Ca-
labria, Latium, Apulia, Tuscia, Umbria, Gallia
Togata, Logobardia, Venetiana & Aconitana.

DE AFRICA ET EIVS
partibus.

Cap. XXVI.

Africa (quam Græci Libyam appellauere)
ut Iosephus lib. Anti. inquit, ab Afro uno
ex posteris Habraæ de Cethura dicitur du-
xisse aduersus Libyam exercitum, & ibi deuictis
hostibus consedit. Incipit à Gaditano freto, &
finitur Aegypto, ab Aquilone mediterraneo ma-
ri coniuncta: ab Austro Aethiopico Oceano su-
scipitur. Habet regiones & prouincias Tingita-
nam & Cæsariensem Mauritania, Numidiam,
Libyam Carthaginensem, Bizantium, Cyrenai-
cam quæ Pætopolis dicitur, Aegyptum & Aethio-
piam. Mauritania itaque Tingitana à Tingis op-
pido dicta, habet ab Oriente Maluam fluum: à
Septentrione mari Italico & Gaditano freto al-

luitur: ab Occidente Atlantico Oceano clauditur.
ibi Abilis columna & Heptadelphi montes. Cæ-
sariensis Mauritania habet ab occasu Tingitanā,
ab Oriente Numidiam, à Septentrione pelagus ul-
tra. Ad Carthaginēsem regionē ab Ampsaga Nu-
midia est Masinissæ claro nomine, de quo Ouidi.
li. 6. A Græcis autē appellata est Metagonitis ter-
ra ubi Hippo regiae & Aphrodisiū ciuitates. Ac-
cole mappalia, hoc est domus pabulis permutan-
dis, quemadmodum Misnensium opiliones, plau-
stris circumferunt. Deinde Africa propriè dicta à
cognomine totius regionis. Vbi Zenis est, hic op-
pida Carthago, Maxulla, Utica Catonis morte in-
signis. Mox in ea Bizantium, quā Libij Phœnices
incolunt, Syrtim minorem contingēs, ubi Hadru-
metis & Leptis ciuitates. Cynopsfluius & regio
Tripolitana ubi Leptis media quæ & Neapolis co-
gnominatur, & Syrtis maior. In intimo sinu, Phi-
lenorum aræ. Ultrà Cyrenaica prouincia, eadem
Pentapolitana dicta, habet uersus Meridiem gen-
tes Garamantum & Aethiopum, à Septentrione
mare Libycum. Finis Cyrenaicus in Oriente est Ca-
tabathmus oppidum. Inde ad Orientem Marma-
rica quæ Mareotis Libya appellatur. Huic con-
termina est Aegyptus regio Nili proxima, cui ab
Orien-

Orientis parte iungitur Iudea, Arabia Petrea, & Erythræum mare. à Septentrione Aegyptiacū, ab Austro Aethiopia est. Regio pluuiarum omnino ignara, sed post aestualem reciprocationem inundatione Nili annis fœcundatur. Vrbes eius insignes Alexandria totius Aegypti caput, ubi sancta Catharina Costi Regis filia martyrizatur. Babylon, olim Babulis & Nova Bobylonia, modo Chairus, uel Alchairo. huic contigua Memphis. sub Aegypto Aethiopia est. Tum ab Oriente Troglodytica regio. Deinde uix homines, magisque semiferi authore Mela, Aegipanes & Ble-miae, quorum capita abesse traduntur. Satyri sine tectis passim ac sedibus uagi habent potius terras quam habitet. Cynocephali, Cholopodes siue monoculi nigri & horribiles sine capite. Alit & Aphrica Elephantos, Dracones, Rhinocerontes, Tigrides, Basiliscos, & multa genera serpentum.

DE ASIA ET EIVS

partibus.

Cap. XXVII.

Asia tertia pars terræ ab Asio Manæi Lydifi-
lio dicta è tribus partibus tangitur Oceano,
F ij

RUDIMENTA

à Meridie Indico meridionali, à Septentrione Scythico, ab Oriente Eoo. ab aduersa parte habet Europam & Africam & pelagus quod inter ambas immisum est. In ea reperiuntur multiformes & mirae hominum effigies, & uarij gentium mores. Est præterea terra fertilis & temperata & omnium animantium genere cultissima. Huius terræ gentes, urbes insignes, ad hunc modum se habent. Prima Asia caput est Pontus & Bythynia, deinde Asia proprie dicta: Phrygia, Cappadocia, Lycia, Caria, Pamphilia, Mysia, Armenia ubi Tigris & Eufrates fluuij in Meridiem labentes exoriuntur. Post Cappadoces hominum primi sunt qui unico uocabulo Pontici dicuntur, deinde Amazones. ad Tanaim Sarmatae, Scythæ ultimi. Caspium sinum ambiunt Caspij, Medi, Hyrcani, sub his Parthi, Carmani, Persides iuxta sinu persicum, Babylonij, Mesopota. Syri, de quibus infra. Spectant Meridiem Arabes, & finum Arabicum possident. Ultra Parthiam Aria est, Paropamissus, Drangiana & Gedrosis, ultraque eas Indi extra intraque Gangem: Superiores ac Meridionales, ubi Plinius lib. 7. naturalis historiæ multa hominū esse genera indicat, quæ humanis corporibus uescerentur. Produntur & in Scythia Arimaspi

Arimaspis uno oculo in fronte media insigne, quibus continet bellum est cum gryphis circa metallum. Sunt et in quadam Imani montis conualle homines sylvestres auersis post crura plantis eximiae uelocitatis. In multis etiam montibus reperitur hominum genus capitibus caninis, prouoce latratum edere. Item hominum genus qui Monoscelij uocaretur, singulis cruribus, mirae pernicitatis ad saltum: eosdemque Sciopodas uocari: qui maiori aestu humi iacentes resupini umbra se pedum protegant. Rursus homines sine ceruice oculos in humeris habentes. Circa fontem Gangis Indiae Astomorum gentem sine ore, habitu tantum et dolore uiuentem prodit. super hos Pigmeli narrantur. et uaria nascentium mirabilia, et monstrosa hominum genera idem Plinius tradit.

Compendiosa Syriae descriptio ex Isidoro.

Syria ab Oriente fluuio Eufrate, ab occasu nostro mari et Aegypto terminatur: a Septentrio- ne Armenia et Cappadocia: a Meridie sinu Arabicum habet. Sinus eius porrectus in immensam longitudinem, in latitudinem angustior. ha- bet autem in se prouincias Comagenam, et Phœniciam et Palæstinam: cuius pars est Iudea, absque Sarracenis et Nabatheis. Comagena est

RUDIMENTA

prima prouincia Syriæ: uocabulo Comage urbis nuncupata, quæ quondam ibi Metropolis habebatur. huic est à septentrione Cappadocia, ab ortu Mesopotamia, à meridie Syria, ab occasu mari Magnum. Phœnix Cathenifrater de Thebis Aegyptiorum in Syriam profectus, apud Sidonem regnauit: eamque prouinciam ex suo nomine Phœniciam appellauit: ubi est Tyrus & Sidon. Habet autem Arabiam ab Oriente, mare Rubrum à Meridie. Palæstina prouincia Philistin urbem Metropolim habuit, quæ nunc dicitur Ascalon: ex qua ciuitate omnis circa eam regio Palæstina est nuncupata. huic ab Oriente mare Rubru occurrit: à meridiano latere India excipitur, à Septentrionali plaga Tyriorum finibus clauditur, ab occasu Aegyptio limite terminatur. Iudea ex nomine Iudea est appellata, ex cuius tribu reges habuit. Hæc est Palæstina regio, quæ prius Canaan dicta est à filio Cam, siue à decem Chananeorum gentibus, quibus expulsis eandem terram Iudei possederunt. Initium longitudinis est à uico Arfa, usque ad uicum Iuliadem porrigitur: in quo Iudeorum pariter & Tyriorum communis habitatio est. Latitudo autem eius à monte Libani usque ad Tyberiadis lacum extenditur. In medio

dio autē Iudeæ ciuitas Hierosolyma est, quasi umbilicus regionis totius. Terra est uariarum opum diues, frugibus fertilis, aquis illustris, opima balsamis. Samaria regio Palæstinæ ab oppido quodam nomen accepit, quod uocatur Samaria, ciuitas quondam regalis in Israel, quæ nunc ab Augu-
sti nomine Sebastia nuncupatur. Hæc regio in-
ter Iudæam & Galilæam media iacet, incipiens à uico cui nomen est Eleas, deficiens in terram Attrabat. Situs eius natura cōsimilis, nec ullo dif-
ferens à Iudæa. Galilæa regio Palæstinæ uocata
est, quod gignat candidiores homines, quam Pa-
lastina. Hæc autem est duplex, superior & infe-
rior, sibi tamen connexæ, Syriae & Phœniciae ad-
hærentes. Terra eorum opima & ferax, frugi-
bus satis fœcunda. Pentapolis regio in confinio
Arabiæ & Palæstinæ sita, dicta à quinque ciui-
tatis impiorum, quæ igne cœlesti consumptæ
sunt, terra olim uberrima, nunc autem deserta at-
que exusta. Nam pro scelere incolarum de cœlo
descendit ignis, qui regionem illam in cineres æ-
ternos dissoluit. Nascuntur ibi poma uirentia sub-
stantia maturitate, ut edendi desiderium gignant:
si quæ carpas, fatiscunt & resoluuntur in cine-
rem, fumum exalant, quasi adhuc ardeant.

RUDIMENTA

Nabathea iacet inter Arabiam & Iudeam, & surgens ab Eufrate in mare Rubrum porrigitur, & est pars Arabiae. Arabia autem tota si in orientem respicias, ad dextram adiacet. Supra ad Aquilonem & ad sinistram Mesopotamia est, inter Tigrim & Eufratem flumina, ab Oriente Tigrim habens, ab Occidente Eufratem, à Meridie Babyloniam. Hæc de Asia.

DE AMERICA ET CIR-

cumiacentibus Insulis.

Cap. XXVIII.

America, quæ nunc quarta pars terræ dicitur, ab Americo Vesputio eiusdem inuentore nomine sortita est. Et non immerito, quoniam mari undique clauditur Insula appellatur. Ptolemæo autem & antiquoribus per nimiam eius distan-
tiam incognita permäsit. Inuenta quidē est anno Christi 1497. ex mandato regis Castiliae. Propter eius quoque magnitudinem Nouus mundus ap-
pellatur. In ea incolæ nudi penitus incedunt.
Anthropophagi sunt crudelissimi. In sagittandi
arte certissimi. Nullique obediunt. Dominis acre-
gibus

gibus carent. In utroque sexu natatores existunt fortissimi. Ferrum cæteraque metalla non habet, sed piscium & animalium dentibus suas armant sagittas. In ea quoque reperitur animal habens sub pectore utrem quandam natuum quo fœtus hic inde secum fert, nec, nisi lactandi gratia, promere solet. Currendo sunt leues admodum. uelociissimi. Diversæ eorum sunt uariorum colorum avium plumæ, ac lapillorum quorundam multitudo, quos ornatus causa ad aures & labia suspendunt. Uniones & aurum cæteraque similia habent. In dando liberalissimi, cupidissimique accipiendi perhibentur.

Sanguinem quoque in lumbis & tibiarum pulpis comminuunt. Alij defunctos cum aqua uictuque inhumant. Alij uero morte luctantes in bombiceis retiaculis inter duas arbores in syluam ingentem, apposito uictu suspendunt, & totam diem circa suspensum saltando consumunt. Cœlum, Solem, Lunam, & stellas adorant. Illorum domicilia campanarum instar fabrefacta sunt, foliis palmarum desuper coniecta. Seminibus carent, sed arborum radices in farinam comminuunt, & in panes conglutinant. Porrò hæc Insula in ea mundi parte sita est qua Sol nobis Germanis

demergitur. Habet autem America Insulas adiacentes quamplurimas, ut Parianam Insulam, Isabellam quæ & Tuba dicitur, Spagnollam in qua reperitur lignum Guaiacum quo utūtur nostrates contrà morbum Gallicum. Accolæ uero Spagnollæ insulæ loco panis uescuntur serpenti bus maximis, & radicibus. Ritus & cultus istarum circumiacentium Insularum par est Americae accoliarum cultui.

Adhuc extra Ptolemæi descriptionem sunt in Septentrione Insulae, Islandia, Vuillappenland, Noruegia, Suedia, quæ uerè Gothia. Hæc triplex est, Orientalis, Occidentalis, & Meridionalis. Gotlandia insula, Scania insula, quam hodie Zealandiam uocant. Ad ortum maxima pars Asiae post centesimum octogesimum longitudinis gradum à nostris Geographis adiicitur. In qua immensa regna, ingentia flumina, multaque alia dictu miranda. Ad pingunt insulam Zypangri ad extremum Orientem, Iauam maiorem & minorem, & quasdam alias insulas. Ad meridiem uero nostra etate Madagascar pingitur, in eo loco ubi Ptolemaeus Menuthiam insulam lib. 4. cap. ulti posuit. Præterea maxima portio Aphricæ ab Hispanis lustrata, itinere illo, quo Calecutium feruntur.

tur. Porrò Oceanum Indicum meridionalem à Praesso promontorio Aphricæ ad Cattagiram usque Sinarum stationem, totum inclusum terra Ptolemæus existimauit, quemadmodū mare Caspium, quod quidem omnes antiqui Geographi Oceanis septentrionalis partem putarunt. Sed illud Indicum nunc repertum est non terra inclusum, sed ab meridionali Oceano esse.

DE ORTV ET OCCASV SIDERUM, de quo p[er]ssim authores scribunt, appendix.

Siderū ortus atq[ue] occasus alios esse ueros, alios apparentes, non ignorare conuenit. Verorum aliis matutinus ortus, aliis uespertinus dici solet. Matutinus quidem ortus dicitur, quum oriente sole stella aliqua supra Horizontem cōscendit. Et hic ab aliquibus Ortus cosmicus siue mundanus dicitur, de quo Columella lib. 12. cap. 2. Octavo Idus Octobris Coronæ clara stella exoritur. Matutinus autē occasus uel cosmicus, quod idem est, dicitur cum oriente sole, stella subtus Horizontem deprimitur, de quo illud Ouidij Fastorum primo, Octipedis frustra queruntur brachia Cancri, Præceps occiduus ille subibit aquas.

Vespertinus uero ortus, quum sole occidente astrum aliquod supra Horizontem emergit,

R V DIMENTA

qui etiam Chronicus uel Temporaneus dicitur quod idem est. Huius ortus non nescius Columella libro quo supra. Sexto Idus Octobris Vergiliæ exoriuntur uesperi. Occasus uespertinus siue Chronicus, fit, quando stella cum Sole occidit. Illius occasus meminit Ouidius 4. Fastorum in hæc uerba. Ensifer Orion æquore mersus erit.

Ad apparentes, siue, quod idem est, Heliacos digressus, propositum ut brevissime potero, terminabo.

Apparetium igitur matutinus ortus est, quum à solaribus radiis emergens, mane ante ortum Solis apparere incipit. Hoc quidem ortu quinque erraticas & plures stellarum fixarum aliquando oriri accidit. Plures inquam & non omnes, quidem stellæ fixæ propinquiores polis mundi, quam sit regionis latitudo (si regioni latitudo est) nullum prorsus ea in regione ortum occasumue faciunt. Verum aliæ semper à nobis cernuntur, aliæ perpetuò nostrū conspectum fugiunt. Quod Columella ostendit his uerbis. Decimotertio Kalendas Octobris Sol in Libram transitum facit. Crater matutino tempore apparet. Matutinus occasus, quum ob uicinitatem Solis stellæ occultatur, & mane conspici desinit: ita Venerem, Mercurium